Würzburg, um 1255/1260

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=9191
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Preoccupemus faciem eius in confessione:
& in psalmis iubilemus ei. Quoniam deus magnus dominus: & rex magnus super omnes deos. Quia in manu eius fines terre: et altitudines montium ipsius sunt. Quoniam ipsius est mare & ipse fecit illud: & siccam manus eius formauerunt. Venite adoremus & procidamus et ploremus ante dominum qui fecit nos: quia ipse est deus noster. Et nos populus pascue eius & oues manus eius. Hodie si uocem eius audieritis: nolite obdurare corda uestra sicut in irritacione secundum diem temptacionis in deserto. Ubi temptauerunt me patres uestri: probauerunt et uiderunt opera mea. Quadraginta annis offensus fui generationi illi: & dixi semper errant corde. Et isti non cognouerunt uias meas: ut iuraui in ira mea si introibunt in requiem meam.